

CONSTITVTIONES EDITAE

à

LAZARO CARAFINO CREMONENSI

Epiſcopo Melphieñ. & Rapolleñ. Comite, &c.

IN SYNODO

Celebrata pridie Non. viij. & vij Idus Nouemb. Anno Domini MDCXXIV.





ROMÆ, Ex Typographia Alphonſi Ciacconi. 1625.

SVPERIORVM PERMISSV.


Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episcopus Hieracen. Vicesgerens.

Imprimatur

Fr. Vincentius Martinellus Ord. Prædic. & Socius Reuerendiss. Patris Fratris Nicolai Rodulfij Sac. Apost. Pal. Mag.

Lazarus Carafinus postea fuit Epus Comensis, et ibi synodum celebravit anno 1633.



LAZARVS CARAFINVS CREMONEN.

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA Episcopus Melphien. & Rapollen. Comes, &c.

Vniuerso Clero, & Populo Ciuitatum, & Diœcesum nostrarum salutem in Domino.



RGET saluberrimum illud Trid. Conc. decretum, vt Diœcesanam Synodum celebremus, præsertim cum à viginti sex annis in Ecclesia nostra non fuerit conuocata. Volentes igitur nostro Pastorali munere, in quantum possumus, Deo adiuuante, satisfacere nonnullos insignes Ecclesiastici ordinis viros, ac Parochos omnes certiores fecimus, eosq. in Cathedrali nostra Melphieñ. ad pridie nonas Nouembris conuocauimus, qui erit dies festus illius vigilantissimi, Archiepiscopi, & tutelaris nostri Sancti Caroli Confessoris; tamen, vt alijs etiam omnibus, qui de iure, vel de consuetudine huiusmodi Synodo interesse debent, nota sit ipsius celebratio, ne quis eius igno-

rationem excusare, aut se contemptum dicere possit, præsenti nostro generali edicto vniuersis, & singulis cuiuscunque dignitatis, & gradus Clericis, qui sua id quacunque ratione interesse putauerint, etiam exemptis, & intra limites nostrarum Diœcesum constitutis, significamus, & notam ipsius Synodi celebrationem facimus, pœnas à sac. Canonibus statutas illis, qui ad eam venire neglexerint, subituris. Laicis etiam Ciuitatum, & Castrorum quorumcunque Dominis, quocunque dignitatis, & gradus titulo præfulgeant, ac communitatibus, cæterisque Diœcesum nostrarum, qui sua pariter quomodolibet interesse putauerint, nostram mentem per præsentes itidem declaramus, hortamurq. vt si commodo eorum fieri poterit, huic sanctæ actioni adesse velint. Cuius rei causæ edictum hoc in Cathedralium, Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum insignium Valuis affigendum, & promulgandum curauimus. In quorum fidem, &c. Datum Melphiæ in nostro Episcopali Palatio die 11. Septembris MDCXXIV.

L. Episcopus Melphien. & Rapollen.

Georgius Gremolissius Curiæ Episcop. Notarius, & act.

LAZARVS EPISCOPVS MELPHIEN. ET RAPOLLEN.

CLERO, ET POPVLO.



VAM meritò Sanctißimus ille Pater Chrysostomus hoc nostrum Pastorale munus laborum pelagum, & ærumnarum abyssum appellarit, nemini dubium esse debet. Siquidem deprauatos mores corrigere, alienæ saluti consulere, hostium insidias sagaciter explorare, malignantium consilia anticipare, pondus adeò difficile reddunt, vt diuinum potius, quam humanum studium exigere videantur. Sed Omnipotens ille Deus, qui nos immeritos ad Episcopatus Prouinciam euocauit, nobis etiam misericorditer concessit, vt Ciuitatibus, & Diœcesibus nostris perlustratis has Synodales Constitutiones conderemus, quibus restituta Ecclesiastica disciplina, innumerisque è medio sublatis erro-

Lib. 3. & 6. de Sacerdot.

erroribus, ac via virtutum complanata, facilius ad cælos quisque valeat euolare. Supernæ igitur vos ardor charitatis incendat, & nostrum vobis semper consilium placeat, vt in vestris mentibus dignæ habitationis tabernaculo constituto, Templum Dei bonis operibus ornatum, omnique macula expurgatum esse valeatis. Melphiæ Pridie *Kal.Decembris* 1624.



TABV-

TABVLA MATERIARVM.





De



IN NO-

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVAE TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.



NOS Lazarus Carafinus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Melphien. & Rapollen. Comes, &c. Ad Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis laudem, hæc in nostra prima Synodo Diœcesana in Spiritu sancto legitimè congregata, statuimus, decernimus, & sancimus.

DE FIDEI PROFESSIONE.

CVm Cattholica fides humanæ salutis initium, & fundamentum, omniumq. bonorum radix existat, Conc.Trid. vestigijs inhærentes mandamus, vt omnes dignitates, Canonicatus, aut beneficia Ecclesiastica, quomodolibet nuncupata, etiam simplicia obtinentes, qui in præcedenti Synodo Diœcesana, à viginti sex annis celebrata, fidei professionem non emiserint, vt in præsenti Synodo, iuxta for. Constitutionis fel. record. Pij Papæ Quarti in ma-

Sess. 25. c. 1. de Ref.

Public. an. 1564 Id. Nou.

+ Haec erat habere in synodis milevensibus ann. 1634. et 1666. et in hac 1a sine legitime.

in manibus nostris emittant.

Concionatores item quicunque antequam ad diuini Verbi prædicationem accedant, hanc ipsam professionem emittere omnino debeant.

Græci pariter hoc idem faciant, iuxta formam Constitutionis, etiam fel. recordation. Gregorij Papæ XIII.

Medici omnes, Chirurgi, & alij docentes etiam prima Gramaticæ rudimenta, qui in superiori Synodo fidem prædictam non emiserunt, illam infra duos menses in manibus nostris profiteri teneantur.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

ET si nos multam hactenus adhibuimus diligentiam, vt omnes, & singuli Christi fideles in fidei Christianæ rudimentorum institutione erudirentur, intelleximus tamen, quod mentis amaritudine referimus, homines prouectæ, & ferè senilis ætatis, non solū in Pagis, verumetiam in Ciuitatibus degentes, prædicta prorsus ignorare. Quamobrem Parochis omnibus, etiam si plures sint in vna, & eadem Ecclesia, hac nostra Synodali sanctione mandamus, vt singulis Dominicis, & festis diebus, pueros, ac puellas in eorum Parochiæ finibus habitantes, Christianam doctrinam studeant totis viribus edocere; quod si prætermiserint, grauissima pœna pro culpæ ratione, arbitratu nostro punientur.

Hortentur sæpius Parochi patresfamilias, vt Dominicis diebus, alijsque festis filios, aut famulos ad Ecclesiam ire compellant, vt fidei rudimenta perdiscant, ac Christianæ institutionis præceptis inbuantur.

Populum similiter moneant de indulgentijs à Pio V. & Gregorio XIII. concessis ijs, qui doctrinæ Christianæ operam impenderint, & vnusquisque eorum pro viribus curet, vt in sua Parochiali Ecclesia huiusmodi doctrinæ

Christianæ societas, si ibi non dum fuerit erecta, quamprimum erigatur.

DE DIERVM FESTORVM OBSERVATIONE.

CVm festi dies instituti sint, vt Christifideles in illis ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes vehementius excitentur verbo Dei missæ sacrificio; & orationibus indulgeant, ac vt pijs misericordiæ operibus, ad Dei honorem, Sanctorum reuerentiam, & proximi ædificationem frequentius vacent, Constitutionibus sanctæ memoriæ Pij Papæ V. Diœcesanæ superiori Ecclesiæ nostræ Synodo, ac edictorum nostrorum decretis inhærentes, mandamus sub anathematis pœna, ac decem librarum ceræ albæ laboratæ, nec non rerum venalium cuiuscunque generis ammissione, vt omnes, & singuli, in festis inferius adnotandis, vt ex præcepto seruentur ab omni opere seruili, mechanico, & rurali se abstineant, contractus non ineant, iuramenta non præstent, non emant, nec vendant, nisi quæ ad victum illius diei; & ægrotorum curationem erunt necessaria; officinas nullo modo aperiant, & ab omnibus alijs rebus, quæ sunt diebus festis interdicta omnino cessent. Hoc etiam obseruari cupimus cum pro aliqua re graui generales supplicationes fient. Edita an. Dñi 1566.

Parochi omnes, quibusuis diebus Dominicis inter missarum solemnia, festa de præcepto populo sibi concredito perualgent, vt peccandi ignorantiæ excusatio penitus tollatur.

Hortentur etiam omnes Christifideles, vt præter Dominicos dies, & alios festos Ecclesiam, quæ domus Dei est, sæpius visitent, & ad eam pueros, & puellas illas, quæ saltem ad annos discretionis peruenerint adducant.

DIES FESTI EX PRAECEPTO S. R. E. ab omnibus obseruandi.

Dies Dominici omnes. Natiuitas Domini nostri Iesu Christi. Circumcisio, Epiphania. Resurrectio, cum duobus sequentibus. Ascensio, Pentecostes cum duobus sequentibus. Trinitas. Corpus Domini. Purificatio. Annunciatio. Assumptio, & Natiuitas B. Mariæ Virginis. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Festa duodecim Apostolorum. Inuentio sanctæ Crucis. Sancti Stephani Protomartyris. Sancti Laurentij martyris. Festum omnium Sanctorum. Festa SS. Innocentium. Dedicationis S. Michaelis Archangeli. S. Martini Episcopi, & Confess. S. Siluestri Papæ, & Confessoris.

FESTA DE PRAECEPTO SVPERIORIS Synodi Diœcesanæ.

Sancti Thomæ Aquinatis. Visitationis B. Mariæ Virginis. Transfigurationis Domini. Sancti Ianuarij, & sanctæ Luciæ virginis, & mart.

FESTA, QVAE PRAESENS SYNODVS seruari declarat.

Sancti Caroli Episcopi, & Confessoris quarta Nouembris. Sancti Augustini Episcopi, & Confessoris 28. Augusti, & festum Sacr. Stigmatum sancti Francisci 17. Septembris, in Ciuitate Melphien. Sancti Marci Euangelistæ 25. Aprilis in Ciuitate, & Diœces. Rapollen.

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

QVanta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, non est, qui ignoret. Curabunt igitur Ecclesiarum superiores, vt quotidiana missa, maximum Christianorum sacrificium ea qua decet maiestate, deuotione grauitate, & attentione dicatur, & audiatur. Mandantes etiam omnibus Sacerdotibus, vt quam fieri poterit, frequentissimè celebrent, vt curam animarum habentibus, etiam si plures sint in vna eademque Ecclesia sacrificium prædictum diebus Dominicis, & solemnibus, ne prætermittant; ne Sacerdotes in eo maximè, quod officij ipsorum est, derelinquere videantur.

Cum ad celebrandum Sacerdotes accesserint Altare, non adeant, nisi prius omnia ad sacrificium necessaria parata habeant, ne postea cum populi scandalo in eo expectandum sit, donec prædicta parentur.

Moneant Parochi frequenter patresfamilias, vt filij, & filiæ non solùm nuptæ, sed etiam nubiles saltem diebus festiuis Missæ debeant interesse. Viduæ etiam ob maritorum mortem, ad hoc idem teneantur, neque sacrum audire tali tempore negligant, qua in re nulla valeat excusatio, cuiusuis consuetudinis, quam per præsentem constitutionem irritam, & abusum esse declaramus cum alijs prophanis occasionibus in publicum prodire non vertantur. Et si per mensem tàm parentes, quàm prædictæ omnes mulieres in pertinacia perstiterint nobis sub graui pœna ab ijsdem Parochis significari mandamus, vt ad excommunicationis sententiam deueniamus, earumque nomina in Ecclesijs publicanda curemus.

In omnibus Ecclesijs vbi plures missæ celebrantur, adsit in sacristia liber, in quo, & anno, & mense, & die primum

notatis, vnusquisque, qui missæ sacrificium peregerit, in singulos dies, vbi id perfecerit manu propria scribat, & nominatim breuiter exponat, se illud præstitisse, cui propterea subscribat is, qui ad hoc mun⁹ fuerit à nobis deputatus.

Missæ votiuæ diebus Dominicis, & festis duplicibus nullo pacto in cathedralibus, & collegiatis Ecclesijs celebrentur.

Horæ Canonicæ ad præscriptum Cæremonialis Romani, ac antiquæ, & laudabilis consuetudinis Ecclesiarum nostrarum decantentur.

Pontificalibus officijs, & missis, etiam in quibus sacræ ordinationes celebrantur, dignitates, & Canonici, ac reliqui Choro Ecclesiæ nostræ addicti, etiam si eo die, in eo bella seruitij ascripti non sint, omnino intersint quacunque consuetudine abrogata.

In solemnitate autem sanctissimi corporis Christi, & per totam eius Octauam, in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs Matutinum immediatè post Completorium, & reliquas horas de mane in Capella, vbi sanctissimum Sacramentum expositum fuerit, decantari mandamus.

In Choro, & Sacrario sacrum semper, Religiosumque seruetur silentium, & Horæ Canonicæ deuotè, ac distinctè recitentur.

Canonici, Ecclesiarumuè Ministri, cum in eorum Ecclesijs functionibus, aut lectionibus sacris intersunt superpelliceo, Canonicaliuè habitu, quo in Choro vtuntur induti omnino sint, ac in diuinis officijs, processionibus, aut funeribus chyrotecis nullo modo induant.

Ne Missarum reductiones, tùm superiori Synodo Diœcesana, ac felic. recordat. Pauli Papæ V. tùm nostræ huius Synodi authoritate iam factæ denuo à Capitulis Ecclesiarum nostrarum in defunctorum præiudicium impetrentur. Perpetuæ celebrandi obligationes nobis inconsultis, etiam grauissima pœna proposita, deinceps ab eisdem

non

non suscipiantur.

Anniuersarij dies electionis, & consecrationis nostræ, & pro tempore existentis Episcopi, vt à Felice IV. & Clementis VIII. Sum. Pontif. sancitum est quot annis in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs Missa solemni celebretur, & à reliquis Sacerdotibus Ciuitatum, & Dioecesum nostrarum saltem commemoratio, vt in Missali, in die consecrationis Episcopi habetur, fiat, populoq. à Parochis, præcedente Dominica denuncietur. c. solemnitates de consd. 1. Cæremonialε Episcopor. lib. 2. c. 35.

DE RELIQVIIS, ET SANCTORVM veneratione.

VT Sanctorum Reliquijs, præsertim insignibus, quas Ecclesiæ nostræ donauimus, ac in Altari maiori honorificè, religioseque collocauimus cultus adhibeatur, eo maximè, cum ex eorum veneratione, Dei omnipotentis gloria augeatur. Mandamus, vt in Cathedralibus, & alijs Ecclesijs vbi asseruantur, eo die, quo eorum nomina in Martyrologio Romano, ac in tabella à nobis confecta, descripta fuerunt, Officium, & Missæ sacrum ritu solemni peragatur, vel saltem, prout notatum fuerit, eorum commemoratio celebretur; & dato campanarum signo, ara etiam ipsa sacro apparatu ornetur, vt eas populus, qua decet reuerentia veneretur.

Recurrente etiam aliqua Sanctorum festiuitate, quibus altaria in aliqua Ecclesia erecta sunt, eo die, tùm paramentorum cultu, tùm candelarum numero à Beneficiatis, vel Ecclesiarum præfectis ornentur, ac frequentibus Missis in ea celebretur.

Vt pium illud institutum à nobis in Ecclesia nostra Melphien. iam introductum, solemniter Litanias B. V. Mariæ in Sabbatis decantandi, perpetuo retineatur. Mandamus Ecclesiæ nostræ Clericis, & Canonicis omnibus, vt sem-

vt ſemper præſentes ſint, cum etiam propter huiuſmodi aſſiſtentiam eorum Collegio fructus Eccleſiæ S.Petri fuerint incorporati.

DE FVNERIBVS, ET ESSEQVIIS.

QVæ à ſac. Canonibus, & à Rituali Romano nuper edito in exequijs, & ſepulturis defunctorum ſancita ſunt, omnino ſeruanda eſſe præcipimus.

In Cathedralibus autem, & ſingulis Parochialibus ſaltem vicinorum ſumptibus prouideatur de pallio nigri coloris pro feretro cooperiendo, gratiſque omnibus concedatur.

Clerici omnes, qui ad funus vocati fuerint, non ad domum ipſius defuncti deueniant, neque in via, aut in plateis, vt moris eſt morentur, ſed in propria ipſius defuncti Parochiæ Eccleſia congruo proceſſionis ordine conueniant, vnde omnes poſtea bini prodeuntes, canentes Pſalmos, mortuum ab eius ædibus ad ſepulchrum commitentur, neuè ab Eccleſia diſcedant, donec corpus ad ſepulturam illatum fuerit.

Vt autem decentius, & ea qua conuenit grauitate, & reuerentia prædicta peragantur, omni conſuetudine poſtpoſita, Canonicus ſtola indutus, locum poſt Canonicos, & dignitates obtineat. Parochi verò Eccleſiarum huiuſmodi officio fungentes præiré eiſdem Canonicis teneantur.

Exequiarum cauſa nemini quidquam paciſci liceat, quod ſordidæ auaritiæ ſuſpitionem indicet, nedum habeat, ſed ab omnibus inuiolabiliter grauiſſima pęna propoſita ſeruetur taxa nuper hac de re, per nos ædita.

+ Quod laudatur in Synodo Mediolanensi ... 1635 ... 131

In Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſijs pro mortuo Canonico, ſeu alio capitulari ſequenti die, à quo corpus ſepulturæ traditum fuerit, eleuato cęnotaphio pro viri dignitate, celebretur Miſſa conuentualis, ac Reliqui Canonici, mi-

ci, ministriuè eiusdem Ecclesiæ hoc itidem præstent, vt quam primum eius anima recipiatur in æterna tabernacula.

Quod antiquo Ecclesiæ instituto sancitum est, vt post fidelium omnium defunctorum commemorationem diuinum officium, & missæ sacrum pro defunctis Episcopis ritu solemni in Cathedralibus, & Collegiatis persoluatur, id omnino obseruari mandamus; hoc idem illo ipso die præstabunt reliqui Sacerdotes Ciuitatum, & Diœcesum nostrarum, ac proximè sequenti die, a singulis Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum hoc idem seruetur pro mortuis Canonicis, Sacerdotibus, & alijs de eorum Ecclesijs. Cæremoniale Episcoporum lib. 1. c. 37.

Quot annis insuper quo ad omnes præsenti vita fungemur pro Episcopo proximè defuncto, recurrente die obitus ipsius, in Cathedralibus, & cæteris Ecclesijs officium peragatur. Idem siquidem pro anima nostra cum mortale hoc corpus exuerit, Reuerendiss. successorem ex sua pietate curaturum, certè in Domino confidimus. Cæremoniale li. 2. c 36.

Canonici, & reliqui Sacerdotes missam itidem pro eo celebrent, populus verò à Parochis moneatur, vt religiosis precibus illius animam adiuuent.

DE PAROCHIS, ET EORVM PAROCHIIS.

ET si multa de officio Parochi nè dum piè, sed etiam prudenter in superiori Synodo Diœcesana demandata fuerint, tamen iniuncti nobis officij cura sollicitat, vt animarum saluti quantum in nobis est prospiciamus; & cum eadem etiam sit ratio de Parochis, qui & ipsi Pastores animarum sunt; mandamus ipsis, vt instituti sui memores diligenter super suorum Parochianorum vita, conuersatione, & religione aduigilent, ac illos frequenter moneant, visitent, hortentur, & corripiant. Infirmos consolentur, forsan Gasparis Cencii Romani Sequo in fa pag. 51.

ad patientiam instruant, ac Ecclesiastica Sacramenta prastò, & opportunè illis administrent, proposita etiam eorum vtilitate, & necessitate, & eos ad petendum illas sibi ministrari, salutari admonitione inducant.

Propterea, vt sacra etiam rescripsit Congregatio Illustrissimorum PP. si quis Parochus in Parochia domicilium non habet intra illius fines domum conducat infra tres menses, Ecclesia, cui præest quam proxima.

Diebus Dominicis, & solemnibus festis populo Euangelium pro eorum sensu, & intelligentia declarent, ac illum de ieiunijs, & alijs quæ Ecclesiæ præcepto scire tenentur ex officio admoneant.

Vt autem Archipresbyteri, ac reliqui curam animarum habentes, ab alijs internoscantur, in eorum Ecclesijs, & Ecclesiasticis functionibus, ac generalibus supplicationibus, iniungimus, vt capuccium nigri coloris, interiori fascia serica viridi exornatum, quod proprium est insigne Parochorum, in humeris supra superpelliceum deferant.

Super egenos, & pauperes in suis Parochis commorantes inuigilent, præsertim super puellas, quibus pudicitiæ periculum imminet, ac qui vel impotentes sunt, vel mendicare erubescunt piè, & studiosè eis subueniant, etsi necessitas ita deposcat nostro, vel nostri Vicarij generalis permissu, aliquid colligendum in Ecclesijs curent.

Et si ex antiqua consuetudine Ecclesiæ nostræ exteri, qui domicilium proprium in Ciuitate non habent, de Parochia cathedralis intelligantur, tamen, vt eorum saluti consulatur, si quem in febrim, morbumuè incidere contigerit in aliquibus Parochijs, mandamus Parochis ipsis, vt spiritualia Sacramenta eisdem quamprimum adhibeant, ac Parochos Ecclesiæ Cathedralis celerrimè admoneant, vt alijs salutaribus remedijs illos iuuare possint.

Ne quæ pietatis, & honoris Dei causa ab Ecclesia instituta sunt ad quæstum, & tributum conuertantur, Parochis omni-

omnibus præcipimus, & districtè mandamus, vt solitos dari cereos in die Purificationis Beatę Marię sẽper Virginis, alicui domum ne mittant; sed ijs qui Ecclesiæ intererunt solummodo tradant, quacunque consuetudine abrogata; In Parochialis Ecclesiæ die festo in Ciuitatibus, & Dioecesibus nostris, illius Parochiæ incolæ ab omni seruili opere, vt abstineant, ac reliqua præstent, quæ de festorum obseruatione à nobis sancita sunt hortamur.

Parochi item omnes in Vrbe, vt religiosius festa prædicta colantur, & sanctificentur, teneantur in vtrisque Vesperis, & Missa decantanda, Parochum illius Ecclesiæ proprium coadiuuare, ac superpelliceis, & capucceo personaliter interesse; hoc idem præstetur à Clericis in dicta Parochia commorantibus sub poena medietatis aurei tàm Parocho absenti, quàm Clerico obedire nolenti locis pijs applicanda.

Librum insuper habeant in quo, & status animarum, & nomina baptizatorum, confirmatorum, matrimonium contrahentium, ac defunctorum Parochiæ ad præscriptum Ritualis Romani notentur, & singulis annis ineunte mense Ianuarij ad Curiam nostram transmittant.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

SAcrosancta Tridentina Synodus sanctæ conuersationis Clericorum exempla, ad vniuersam populi Christiani reformationem plurimum prodesse intelligens salutariter statuit; vt quæ à Summis Pontificibus, & à sacris Concilijs de honesta Clericorum vita, doctrinæ, cultusque ratione decreta fuissent, per eos ad quos spectat executioni demandentur. Nos igitur eiusdem sac. Concilij iussa exequi cupientes nonnulla, tùm ex sac. Canonibus, tùm ex Concilijs Generalibus decerpta inuiolate obseruanda proponimus.

Præcipimus igitur omnibus, & singulis Clericis, vt clericalem tonsuram, quæ est militiæ spiritualis insigne, vniuscuiusque ordinis, & gradui conuenientem perspicuè gerant. Vestem exteriorem, & interiorem simplicem, & talarem nigri coloris, sinè manicis apertis, & aptè ad collum annexam omnes gestent, calceis nigris solummodo vtantur, aut cera obductis; arma ne ferant, neuè personati incedant, aut anulos in digitis deferant, nisi id honoris gradus, aut officij munus requirat. Extra Diœcesim absque nostra speciali licentia in scriptis ne diuagentur. Negotia secularia ne gerant. Tabernas, aut cryptas non intrent. Circulos platearum diurno, nocturnouè tempore fugiant. Minus honestis conuiuijs ne intersint. A mulierum suspectarum consuetudine, aut colloquio se abstineant. Nullis saltationibus, comedijs, alijsvè prophanis spectaculis intersint; ne vè telis, aut tesseris, aut omninò alea, vel vetito, aut indecoro ludi genere ludant, aut spectatores sint. Quicunque in ijs, quæ à sac. Canonibus, & à nobis prohibita sunt, deliquerint, præter mulctam vigintiquinque aureorum ob singula delicta, exigendam, & in pios vsus erogandam, grauius etiam pro personæ conditione, & facinoris, ac flagitij ratione arbitratu nostro plectentur.

Prohibentes insuper Ecclesiasticis omnibus, etiam sub pœna excommunicationis, ne donationes falsas, & in fraudem vniuersitatum factas admittant, & vt contrahentium securitati imposterum consulatur, volumus, & districtè mandamus, vt donationes omnes in fauorem Clericorum factæ, vel in futurum faciendæ, infrà duos menses, à præsentium publicatione, vel instrumentorum confectione, respectiuè numerandos, registrentur in actis Curiæ nostræ, aliàs fraudolentes, fictitias, & nullas esse omninò declarabimus.

Inhærentes præterea eiusdem Conc. Trid. decretis per

viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, vehementer hortamur Presbyteros, vt singulis Dominicis, & alijs festis diebus, nisi iustè impediantur, salutare Missæ sacrificium faciant. Diaconos, & Subdiaconos, vt bis singulis mensibus, Clericos denique, & inferiorum ordinum gradibus initiatos, vt intra Missarum solemnia saltem semel sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumant.

DE EXAMINATORIBVS ELIGENDIS, & eorum officio exercendo.

TRidentino Concilio statutum est quot annis in Dioecesanam Synodum ab Episcopis viros aliquos idoneos referri debere, qui diligenti examinatione, de vita, & moribus, & doctrina eorum inquirant, qui Parochialibus Ecclesijs præficiendi erunt. Nos igitur decretum huiusmodi exequi cupientes proponimus nonnullos RR. PP. ex ijs per vos deligi liceat, qui vobis satisfaciant, quorum nomina postea in præsenti Synodo describantur. Hocque examinandi munus habeant, quousque alia Synodus celebrabitur, ac in præsenti ita delecti iurent omni humana affectione deposita, munus à se susceptum rectè subituros esse, nihilque prorsus, etiam minimum, neque ante, neque post examen accipiant, non spe, non metu, non præmio, nec personarum ratione, aut aliquo affectu ducti, muneris sibi commissi curam gerant. Qui contrafecerint Deo in primis culpæ in eo munere admissæ exactam rationem reddituri sciant, ac indigni huiusmodi officio deinceps censeantur.

NOMINA EXAMINATORVM,
deputatorum sunt Admodum RR.PP.

MArcellus de Amatis Dec.Doct.Thesaurarius.
Octauianus Copollarius I.V.D. Canonicus.
Sebastianus Villanus I.V.D. Canonicus.
Ioannes Baptista Vrsus S.T.D.Canonicus.
Felix Facciuta S.T.D.Canonicus.
Eliseus Geruasius I. V. D. & Felix Grauina I.V.D. Rector sancti Nicolai.

EX ECCLESIA, ET DIOECES. RAPOLLEN.

ANtonius Lombardinus S.T.D. Archidiaconus.
Io.Nicolaus Gratiola S.T.D.Archip.Atellæ.

EX REGVLARIBVS.

PAter Ioannes Baptista Zancardus Præpositus Collegij Summaschæ.
Pater Magister Antonius Germinalis, & Pater Magister Ioseph Lungus Ord.Conu.S.Francisci.
Pater Magister Io.Angelus Lorena Prior Carmelitarum.

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS.

INhærendo quoque ordinationi sac.Conc. Trid. de designandis iudicibus in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs, pro causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, à sancta Sede Apostolica in partibus delegandis vix constitutionem felic. record. Bonifacij Papæ Octaui, quæ incipit statutum, &c. Proponimus nonnullos graduatos, & qua-

De Rescrip.in 6.

& qualificatos viros, vt ex his suffragijs vestris designati causæ à prædicta sancta Sede diligentur.

NOMINA DEPVTATORVM SVNT Adm. RR. DD.

Marcellus de Amatis Dec, Doct. Thesaur.
Octauianus Coppollarius I.V.D. Canonicus.
Sebastianus Villanus I.V.D. Canonicus.
Eliseus Geruasius etiam I.VD.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS.

Synodales testes à sacris Canonibus, & præsertim à Lateranensi Concilio sub Innocentio III. institutos ad disciplinam ecclesiasticam retinendam hac nostra constitutione iubemus, vt electi iureiurando promittant muneris sui partes se exequuturos esse. Cap. 6. & can. Episcop. 35. q. 6.

Diligenter igitur inspiciant, an Parochi, circa Sacramentorum administrationem, morum honestatem se quales decet ostendant. Num Clerici debitis officijs se contineant, an Ecclesiæ, Altaria, Cœmeteria, & alia loca sacra reparatione aliqua indigeant, an festa seruentur; an Christifideles in Ecclesijs piè, religiosèq. versentur. Num blasphemi, superstitiosi, vsurarij, alijq. adsint publica peccandi consuetudine maculati, denique an decreta à sacris Canonibus, & à nobis tùm in præsenti Synodo, tùm in visitatione edita seruentur, ac omnia nobis significent, quæ correctione, aut emendatione indigere iudicabunt.

NOMINA TESTIVM SYNODALIVM deputatorum sunt. Adm.RR.PP.

MArcellus de Amatis Thesaurarius.
Felix Facciuta Canonicus.
Marcus Ciaurella S.Theodori Rector.
Domitius Ciardullus I.V.D.

EX ECCLESIA, ET DIOECES. RAPOLLEN.

FRanciscus Valuanus Cantor Cathedralis.
Ioannes Nicolaus Gratiola Archipresb. Atellæ.
Vincentius Baffarus Archipresb.Ripacand.
Ioannes Clarus Archipresb.Barelis.

DE MONIALIBVS.

CVm sacri Concilij Trid. decretis Summorum Pontificum, ac prædecessorum nostrorum constitutionibus satis prouisum sit, circa ea, quæ seruari oportet in Monialium Monasterijs, earumq. clausura, nihil aliud faciendum est hac nostra Synodo, quam præcipere, vt sanctiones prædictæ executioni fideliter demandentur. Quod vt citra longiorem dilationem fiant, præter ea, quæ in visitatione continentur, districtè etiam obseruari mandamus infrascripta in omnibus Monasterijs. Cibus, potus, & vestitus, locusque dormiendi communis sit. Ab assidua oratione non cessent, Ecclesiastica Sacramenta frequentent, ac præcipuè paupertatem, & obedientiam spiritu, & opere bono castitatis adiungant. Ad mensam saltem semel in hebdomada Regulæ Monasterij legantur, ne per obliuionem aliquid in eis contentum negligatur.

Taxatus

Taxatus numerus quadraginta Monialium in Monasterijs S. Bartholomæi Melphieñ. & viginti Sancti Spiritus Terræ Atellæ à bon. mem. D.Placidi Episcopi prædecessoris nostri omnino seruetur, donec aliter nobis de redditum incremẽto constiterit. Conuersæ tamen supra numerum prænarratum iam acceptatæ, vel imposterum acceptandæ pro necessarijs Monasteriorũ seruitijs, habitum Religionis suscipiant, professionem emittant, & Monasterij Constitutiones obseruent. Quod si semel ante professionem è claustro exibunt ab eodem eas perpetuo excludi mandamus.

In vnoquoque Monasterio communis curationis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, quamprimum constituatur; ac etiam furnorum vsus in quibus panis coquatur, quam citissimè introducatur.

Nullus item Sacerdos, cui etiam nostris litteris in Ciuitatibus, & Diœcesibus nostris missæ sacrum facere licet, in Ecclesijs Monialium celebret, nisi prius à Nobis, aut à Vicario nostrò generali specialem facultatem scripto obtinuerit.

DE SACRAMENTIS.

SAcramenta septem à Christo Domino instituta sunt, veluti instrumenta diuina, quibus vtitur Deus per ministerium seruorum suorum ad gratiam diuinam conferendam, vel augendam, aut restituendam, vt homines liberati è seruitute diaboli, & translati ad honorem filiorum Dei ad beatitudinem sempiternam, cum Angelis sanctis aliquando perueniant.

DE BAPTISMO.

BAptiſmus primus eſt in Sacramentis, & iure dicitur ianua ſacramentorum, cum ſine ipſo nullus homo idoneus ſit, ad cætera Sacramenta ſuſcipienda; ideo maxima erit Parochorum cura ſæpè monendo ne infantes, ob negligentiam parentum, ſine baptiſmo decedant. Præcipientes, vt quacunque cauſa, vel prætextu, à partu tres dies ab eius ſuſceptione non tranſcurrant. Quod ſi parentes neglexerint, excommunicationis pœnam ſubeant.

Parochi item obſtetrices addiſcant,vt tempore neceſſitatis veram formam vulgari, vel latino idiomate adhibeant; quod ſi ita baptizatus poſtea vixerit, ad Eccleſiam pro cæremonijs ſupplendis quamprimum deferatur. Interrogentque diligenter, an veram formam, & aquam naturalem adhibuerint.

Curent ſimiliter Parochi nè gentilium, aut impiorum hominũ nomina infantibus imponantur, ſed eorum potiùs qui ſanctorum numero aſcripti ſunt,vt ipſi infantes poſteà eorum imitatione ad pietatem excitentur.

Cumpatres, & Cumatres, qui orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, & Symbolum fidei ignorant, ab huiuſmodi ſuſceptione omnino arceantur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QVamuis Baptiſmi ſacramentum ſit magis neceſſarium ad ſalutem, quam ſacramentum Confirmationis, cum per illum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, vitam ſpiritualem accipiat homo, in Confirmatione tamen accipit quaſi quandam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ, vnde, & Melchiades Papa epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ dicit Spiritus ſanctus, qui ſuper

De Conſecr. diſt. 5. cap. de his.

aquas

aquas Baptismi salutifero descendit lapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.

Vt igitur dignè suscipiatur, cura Parochorum erit, vt pueri per tres dies saltem eligantur idonei, monentes, vt eorum peccata confiteantur, vel saltem contriti accedant.

Patrini non plures, quam duos teneant, & vltra ea, quæ de eorum qualitatibus in superiori titulo à nobis decreta sunt, sint etiam ipsi confirmati, alias, & hi nullo modo admittantur.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

SAcrosanctum Eucharistiæ sacramentum, omnium Sacramentorum maximum est, in quo non sola gratia copiosissimè, sed ipse auctor gratiæ continetur; ideo summo studio curent Parochi, vt illud frequenter, & dignè à fidelibus suscipiatur, ac ineunte Quadragesima populum eorum curæ commissum inter Missarum solemnia admoneant de communione Paschali tempore, in Parochiali Ecclesia, & non alibi sumenda; hoc idem præstetur generatim subsequentibus diebus Dominicis, & quos secus, quam salutariter ab Ecclesia receptum est fecisse repererint, nobis statim eorum nomina, post festum Ascensionis scripta deferant, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

Solo mane sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad infirmos deferatur, excepto casus propinquæ mortis, ad adorandum verò nunquam, sed tantum ad vere sumendum; & cum defertur, vmbella, luminariaque saltem octo adhibeantur.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

SAlutariter ex doctrina Spiritus sancti cautum est, vt Christifideles, ad pœnitentię remedium frequenter accedant; propterea Parochorum munus erit, sæpè monere populum sibi concreditum, vt pœnitendi procrastinationem euitent, præsertim, qui semel tantum solent in anni curriculo confiteri, maiorem hebdomadam non expectent, sed saltem ante Dominicam Palmarum peccata sua confiteantur, vt commodius etiam à Confessoribus audiantur. Hortentur etiam Parochi medicos, vt Constitutiones Innocentij III. Pij V. Summorum Pontificum, ac edictum à nobis super ægrotorum visitatione, nuper editum diligenter obseruent; nullam verò occasionem prætermittant instandi ægrotis, quæ ad animæ salutem pertinent.

Ad coercendam autem quorundam criminum licentiam, & quæ maximè in Diœcesi nostrâ committi solent, prohibemus ne Confessores ab infrascriptis casibus absoluant.

TABVLA CASVVM RESERVATORVM.

1 QVi Deum, aut Beatissimam Virginem, aut Sanctos blasphemauerint.

2 Sortilegi, seu inuocatores dæmonum, & scienter maleficijs, diuinationibus, aut alijs grauibus superstitionibus vtentes.

3 Deponentes falsum, vel verum tacentes coram Iudice, ac scripturas falsantes in damnum alterius, aut ad id inducentes.

4 Incendiarij domorum frugum, & aliarum rerum similium,

milium, vel ad id consulentes, aut auxiliantes.

5 Homicidium, vel membri abscissionem, per se, vel alios perpetrantes, siue quoquomodo auxiliantes, & consulentes, & abortum procurantes; si ad hæc sequatur effectus. Venefici pariter quamuis inde, nec mors, nec graue damnum sequatur.

6 Stupratores virginum sub promissione matrimonij, etiam si matrimonium postea sequatur.

7 Qui solutionem Ecclesijs, Monasterijs, & locis pijs debitum, à die debiti post annum distulerint; absoluantur si postea satisfecerint.

8 Qui infantes in lecto, anno non expleto, sine cunabulo tenuerint, aut matrem, nutricemuè id facere coegerint, vel impedierint quo minus cunabulum adhibeatur.

9 Qui sodomiticum scelus commiserint, & qui cum brutis coierint.

10 Alloquentes moniales, oretenus, vel per epistolas sine licentia, sint ipso facto excommunicati.

Monentes etiam, vt in alijs quoque grauioribus præsertim publicis casibus præter hic reseruatos absolutione dilata, nos, aut Vicarium nostrum generalem prudenter, & sacrosanctæ confessionis sigillo diligenter seruato consulant. Animaduertentque ne vota cuiuscunque permutent, aut in ipsis dispensent, nec etiam cum incestuosis coniugatis, quoad debiti petitionem, cum hæc ad ordinarium iure pertineant.

DE SACRAMENTO EXTREMAE Vnctionis.

EXtremæ Vnctionis sacramentum, quod à nonnullis Patribus pœnitentia infirmorum nominatur, ma-

gnam

gnam consolationem ægrotis afferre potest, si eius virtus intelligatur, & ipsum Sacramentum opportuno tempore recipiatur.

Hortentur igitur Parochi infirmos ad illud recipiendum, dum integros sensus habent, doceantque populum huiusmodi Sacramentum valde proficuum esse ad animæ, & corporis salutem à Domino impetrandam.

Parochi insuper fidelibus propè morituris suggerant, vt ex hoc sæculo, antequam migrent, qui præsertim in Ciuitate sunt, vbi Episcopus adest, ad illum certum hominem mittant, qui eis Episcopalem benedictionem petat.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

MAximam malorum omnium partem, quæ & vniuersalis Ecclesia, & nostra hæc Diœces. hodie patitur, dubium non est ex eo prouenire, quod debita cura, & diligentia adhibita non fit in promouendis tantummodo dignis, cum vix inueniantur in multis Presbyteris, quæ iure exiguntur in simplici Clerico.

Vt autem post hac ij tantum Clero ascribantur, qui probatis moribus, litterarum scientia, & alijs qualitatibus tanto honore digni erunt, & prudenter de mandato sibi munere fungi valeant. Nulli imposterum ad primam tonsuram, & ad minores, aut maiores ordines admittantur, nisi eorum nomina, & desideria publicè in Ecclesia à Parocho proponantur, & à nobis deputato certam fidem habuerint qua optimorum virorum iuramento, ipsorum qualitates, scientia, vita, ætas, moresque comprobentur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SAncta res est matrimonium, ideoque sanctè à fidelibus celebrandum. Verum quia non sine animi nostri dolore intelleximus in hac nostra præsertim Ciuitate irrepsisse abusum, & corruptelam, viros, & vxores postquam conuentiones de dote, pactaque ad futuri matrimonij effectum pertinentia confecta fuerint inter se coniugi, & ad thori communionem peruenire, nullis adhibitis Ecclesiæ cæremonijs, minimèque expectata sacerdotali benedictione, immo potius ipsa neglecta, propterea, vt huiusmodi pestis omnino tollatur, sub pœna viginti librarum ceræ albæ laboratæ, & excõmunicationis in subsidium, hac nostra Synodali Constitutione mandamus ne quisquam cuiuscunque conditionis, sit sub quo vis prætextu domum sponsæ ingrediatur, & cohabitare sub eisdem pœnis à parentibus permittatur, nisi peractis denunciationibus, & matrimonio in Ecclesia ritè per Parochum celebrato, sublata etiam omni consuetudine eorum, qui superbia, & fastu tumidi Ecclesiam Dei contemnentes in priuatis potius domicilijs malunt, quàm in templo, vbi Ecclesia ipsa conuenit, & pro coniungendis beneprecatur, coppulari.

Vt autem de prædictis contrahentes omnes certam notitiam habeant, & nullo modo se excusari possint, per viscera misericordiæ Domini nostri IESV Christi hortamur Notarios omnes, vt in confectioni pactorum, seu Capitulorum Matrimonialium velint contrahentes de prædictis admonere eorumq. Parochum de huiusmodi contractu certiorem reddere, vt si opus fecerit ad præmissorum obseruationem compellantur.

Exteri verò ad matrimonium contrahendum non admittantur, neque à Notarijs, vel quibuscunque alijs Capitula, vt vocant matrimonialia conficiantur, nisi prius consti-

conſtiterit autentica proprij Ordinarij fides, legitimè in Curia noſtra recognita, quod nullo impedimento laborent.

DE CONCVBINARIIS.

CONcubinarij tàm ſoluti, quàm vxorati cuiuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtent inhoneſtam conſuetudinem dimittant, ab eorum domibus concubinas expellant, ac etiam extra domum alimenta ne præſtent; quod ſi infra quindecim dies à præſentium publicatione non dimiſerint, excommunicationis pœna innodentur, quam etiam incurrant ij, qui in poſterum ſimili peſte laborantes moniti infra ſex dies conuerſationem non reliquerint; & inſuper per Curiam noſtram puniantur iuxtà diſpoſitionem ſac. Conc. Trid.

DE VSVRIS.

CVm inter cæteras calamitates huius temporis vſuræ maximè dominetur, præſertim cum bona maiori iuſto pretio dilata ſolution, vendantur; aut bona ipſa, hominumque operæ propter anticipatam pecuniam minoris iuſto pretio emantur, & nonnullæ etiam fiant obligationes ſub ſpecie mutui, cum reuera huiuſmodi contractus non fuerit initus.

Caueant propterea Confeſſarij diligenter,& nullatenus vſurarios prædictos abſoluant; curentquè Parochi populum ſæpè admonere, vt ab huiuſmodi, & ſimilibus contractibus vſurarijs in grauem animarum ſuarum perniciem ſe abſtineant.

DE

DE RITV GRAECORVM.

QVoniam Græci, quidam vulgo Albaneñ. appellati Latinis permixti in Diœces. nostra commorantur, qui, nec veterum Græcorum ritus, nec Latinorum sequuntur. Mandamus, vt ab ipsis, & eorum Presbyteris seruentur instructiones in materia Sacramentorum, & aliorum dogmatum à felic. record. Clemente Papa VIII. hac de re iam pridem æditas, ac edicta à nobis promulgata, & in futurum promulganda executioni demandentur; ne ipsorum quodammodo absque vlla Religione viuentium exemplo, & consuetudine simplices Christifideles polluantur. An.1597

Caueant imposterum ne defunctorum corpora in Ecclesia deuastando pauimentum sepeliantur, sed in Cœmeterijs, vel sepulturis more Latinorum integumento lapideo munitis reponantur, & à Parochis in eorum Ecclesijs nullo modo commessationes admittantur.



D ERE-

ERECTIO SEMINARII.

LAZARVS CARAFINVS CREMONEN. *Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Melphien. & Rapollen. Comes, &c.*

ETSI Nos Trid. Concil. iussa exequentes iampridem publico edicto proposito pro bono Ecclesiarum nostrarum scholas ad Clericorum auxilium instituerimus; tamen diuini cultus augmentum, & dictarum Ecclesiarum vtilitatem affectantes Seminarium Clericorum, iam à viginti annis, & vltra intermissum, ad præscriptum prædicti Conc. erigere cupientes, vt inde Alumnos omnium virtutum genere eruditos, ad sollicitudinis nostræ munera obeunda idoneos habeamus, præsertim cum hodie in Ciuitatibus, & Diœcesibus nostris, ex tam longa Seminarij prædicti intermissione, pauci reperiantur Presbyteri idonei, quibus animarum cura rectè committi possit, Adm. RR. DD. Marcellum de Amatis Decretorum Doctorem, Ecclesiæ nostræ Melphien. Thesaurarium, vti de Capitulo, & Marcum Ciaurellam Sancti Theodori Parochum, ex Clero deputauimus. & à Capitulo Sebastianus Villanus I.V.D. Canonicus, & Hieronymus Stabilis sancti Laurentij Parochus pariter electi fuerunt quorum consilio, & auxilio beneficia prædicto Seminario sic erecto vnienda, absque tamen diuini cultus detrimento, & obtinentium præiudicio vniantur, & taxata, taxentur, cæ-

teraque omnia præstentur, quæ ad integram Seminarij erectionem,& sustentationem opportuna,& necessaria esse videbũtur; faxit Deus Optimus Maximus,vt quemadmodum speramus, ex huiusmodi erectione; vberrimos fructus reportemus. In quorum fidem, &c. Datum Melphiæ in nostro Episcopali Palatio die 11. Ianuarij 1624.

Præuia igitur diligenti, ac matura consideratione habita. cum supradictis RR. PP. deputatis taxam in primis mensæ Episcopalis nostræ, deinde beneficiorum, ac redditũum omnium Ecclesiasticorum confecimus pro Seminarij huiusmodi substentatione, quam in præsenti Synodo publicandam, & apponendam duximus, ac in duobus terminis in manibus multum Reu. D. Iosephi de Rentijs Ecclesiæ nostræ Canonici, & depositarij electi, persoluendam mandamus, nempe in Domini nostri Iesu Christi, & Sancti Ioannis Natiuitatibus; ita vt prima solutio incipiat, in festo Natiuitatis eiusdem Domini nostri Iesu Christi currentis anni MDCXXIV. & sic deinceps, nisi aliter cum consilio eorundem deputatorum à nobis fuerit ordinatum.

Ad Seminarium verò prædictum nulli imposterum admittantur, nisi prius præstito iuramento de obseruandis Regulis iam editis vel imposterum à nobis, aut successoribus nostris edendis.

Taxa Mensæ Episcopalis, omnium Beneficiorum, & aliorum redditũum Ecclesiasticorum Melphieñ. & Rapolleñ. pro contributione Seminarij.

Mensa Episcopalis.	130
Massa Capitularis cum annexis.	052
Collegium Canonicorum cum annexis.	004

Parochiales.

Ecclesia Sancti Laurentij cum annexis.	o 2 5
Ecclesia S. Theodori.	o o 1
Ecclesia S. Andreæ cum annexis.	o o 1. 50
Ecclesia S. Nicolai de Celamo.	o o 1
Ecclesia S. Luciæ, &	o o 1. 50
Ecclesia S. Nicolai de Platea.	o o 1

Beneficia simplicia.

S. Mariæ de Gratia S. Mariæ de Lombardis Sancti Benedicti Sancti Saluatoris, & Sancti Antonini.	in totum	o o 2. 50
S. Mariæ de Salsolito S. Nicolai de Balneo S. Magdalenæ S. Caraldi, & Beneficium della Creta	in totum	o o 1. 30
S. Schiectinæ		o o o. 30
S. Marci		o o o. 80
S. Heligij, & S. Angeli de Heremita		o o o. 30
S. Angeli della Cupa		o o 2
S. Mariæ Consolationis.		

Ecclesia, & Diœces. Rapolleñ.

Massa Capitularis Cathedralis.	o o 2
Archidiaconatus.	o o 3
Cantoria Rapollæ.	o o 1. 30

Cano-

Canonici sex. 0 0 5

Altare S. Antonij. 0 0 0 50

Actella.

Capitulum Ecclesiæ Maioris. 0 0 6

Abbatia S. Angeli Inuultu. 1 2 0

Abbatia S. Mariæ de Perno. 0 2 0

Ecclesia S. Mariæ de Vitalba. 0 0 0 40

Ecclesia S. Leonardi. 0 0 0 40

Ripacandidæ.

Capitulum Ecclesiæ Maioris. 0 0 7

Barelis.

Archipresbyter Ecclesiæ Maioris. 0 0 1

Parochus græcus. 0 0 1

DE CONGREGATIONIBVS CASVVM conscientiæ.

Congregationes Casuum conscientiæ, tàm in Ciuitatibus, quàm in Diœcesibus nostris diù intermissæ; denuò instituantur, & semel in hebdomada in nostro Episcopali Palatio, præuia casuum propositione coram nobis; ac nostro Theologo, vel alio ad id deputato discutiantur. Idem seruetur in Ciuitate Rapollen. coram Archidiacono, vel qui proximam dignitatem obtinet, ac in Diœcesi coram Archipresbyteris. Huiusmodi congregationibus interesse teneantur Parochi omnes, Confessarij, & qui sacris ordinibus initiati sunt, qui secus fecerint, poena etiam pecuniaria, arbitrio nostro puniantur.

Præfecti Congregationum Diœcesanarum dubia proposita, quouis modo discussa, in folio adinstar litterarum complicato, ad nos, vel Vicarium nostrum generalem, quamprimum transmittant.

DE CATHEDRATICO.

CVm census, & Cathedraticum, vel vt alij dicunt Synodaticum Episcopo Melphien. & Rapollen. in honorem Episcopalis Cathedræ, ab omnibus Ecclesiasticis in signum subiectionis de iure debeatur; hac tamen vice & sine præiudicio mensæ nostræ Episcopalis, Capitulis, Parochis, Beneficiatis, & alijs Ecclesiasticis personis gratiosè remittimus, & condonamus.

DE FINE SYNODO IMPONENDO.

HAEC sunt, quæ hoc potissimum tempore, præter in visitatione demandata pro restitutione, & conseruatione Ecclesiasticæ disciplinæ, ac Ciuitatum, & Diœcesum nostrarum vtilia, & necessaria esse duximus. Reliqua verò, quæ à Prædecessoribus nostris sancita sunt, censuris ipso iure, vel facto sublatis, ac nisi nostris, vel sacris Canonibus aduersentur omnino seruanda esse decernimus.

Declarantes insuper pœnas in sacris Canonibus Summorum Pontificum, ac Prædecessorum nostrorum decretis contentas, præter illas à nobis impositas, à delinquentibus subeundas esse, ac vbi appositæ non fuerint, arbitratu nostro esse infligendas.

Reseruantes tandem nobisipsis facultatem pœnas appositas commutandi, moderandi, & augendi, ac præsentes Constitutiones interpretandi, salua tamen S.R.E. authoritate, cui omnia à nobis in Synodo acta, decretaq. ea quæ decet obedientia, & reuerentia subijcimus interpretanda, corrigenda, & emendanda.

EDI-

EDITTO PER L'OSSERVANZA DELLA QVARESIMA.

LAZARO CARAFINO CREMONESE per la Dio gratia, e della S. Sede Apostolica Vescouo di Melfi, e Rapoll. Conte, &c.



SE ogni tempo ricerca sollecitudine dal Pastore, & osseruanza da i Popoli, questo sicuramente della santa Quaresima è quello, che più d'ogn'altro ci obliga con maggior diligenza, d'opere sante come pieno di santissimi misterij; e però consecrato da Christo Signor Nostro col digiuno Quadragesimale; è commandato dall'Apostoli, & osseruato perpetuamente in tutta la Chiesa di Dio.

Primieramente dunque per osseruanza di questa santa Quaresima, commandiamo l'infrascritte cose da osseruarsi inuiolabilmente nelle Città, e Diocesi nostra.

Niuno adunque di qualsiuoglia stato, ò grado si sia ardischi di mangiare carne di veruna sorte, ne oua, ne botiro, & altri latticinij, come vietate in questo tempo, & conforme l'obligo, che tutti hanno, sottopena di peccato mortale digiunaranno tutti li giorni, eccettuati quelli che per l'età, ò per altra legitima causa sono escusati, come per le sacre dottrine.

I cibi vietati non si pongano in ogni luogo publicamente à vendere, ma nella Città, in vn luogo solo deputa-

to da

to da noi, & nella Diocese dalli Vicarij foranei, ne si vēda no à botega tutt'aperta, ma per la maggior parte serrata.

Non si venda carne se non di vitella, ò d'altr'animale, che à giuditio di Medici sia per uso d'infermi; ne si venda ad ogn'vno ma solamente à chi hauerà licenza inscritto dal nostro Vicario generale, la qual licenza, se non hauerà tempo determinato, sia finita subbito che cessa la causa per la quale è concessa; ma se la detta causa durarà più di dieci giorni, s'ottenghi di nuouo detta licenza, altrimente s'intenda estinta.

Li Hosti, Tauernari, ò altri ch'alloggiano, & dan'a mangiare non tengano, ne vendano, ne pongano in tauola à forastieri, viandanti, ò altri, cibi prohibiti, senza la debita licenza inscritto; ne anco cibi tali, portati da altri, ò comprati cocano, ò acconcino, ò in altro modo preparino, ne cotti, ò preparati altroue, lasciano mangiare nelle loro Hostarie, ò Tauerne senza la sudetta licenza.

Tutte le sudette cose, & ciascheduna d'esse commandiamo sotto le pene, & multe d'applicarse à luoghi pij penitenze, & censure ordinate da sac. Canoni, & Constitutioni Apostoliche contra li trasgressori della sac. Quaresima, & altre ancora, etiamdio dell'interdetto della Chiesa, e della scommunica ad arbitrio nostro; secondo la trasgressione, e la grauità della colpa di qualunque contrafacesse.

Auertendo di più, che l'assolutione di tal delittó, e peccato la riserbamo à noi, & in oltre, in caso di disprezzo, si procederà come contra sospetti d'heresia.

Essortiamo poi ciascheduno d'osseruare l'infrascritte cose.

PRocuri ogn'vno d'vdir ogni mattina la Messa, e la Predica, e conformarsi alli costumi conuenienti à que-

sto sa-

sto sacro tempo; e però non si tenghino le botteghe aperte,& anco li Tribunali la mattina conforme quella buona vsanza osseruata da tutti i veri Christiani.

Gl'infermi, & altri, a'quali sarà concessa licenza di mangiar carne, e cibi prohibiti, l'vsino moderatamente, e con pietà Christiana, ne li mangino in publico, ma ritiratamente.

Li Medici si ricordino, che maggior cura s'hà d'hauere dell'anima, che del corpo, e però auertino à non far fede ad ogn'vno di mangiar cibi prohibiti, se non in caso di necessità.

Finalmente ricordiamo à tutti, che essendo questo tempo consecrato col digiuno, deueno astenersi non solo da cibi prohibiti, ma da ogni sorte di delitij, & lussi, e fuggir sopra tutto il peccato, e l'occasion di peccare, dandosi ad essercitij virtuosi, & opere Christiane, per accumularse gratie,& opere di vita eterna, che Dio ci la conceda per sua infinita misericordia.

In quorum fidem,&c. Melphiæ in Episcopali Palatio die 15. Mensis Februarij 1624.

L.Episcopus Melphień.& Rapolleń.

Georgius Grimolisiius Curiæ Episc. act.

LAZARVS CARAFINVS CREMONEN.

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Melphien. & Rapollen. Comes, &c.



PERCHE si vede chiaramente che la maggior parte de gl'infermi di questa Città si riducono sin'al fine della vita loro, ò almeno in grandissimo pericolo, prima che riceuano li santissimi Sacramenti della Chiesa, che sono tanto necessarij alla salute dell'anima, e del corpo, e che anco per questo sia di mistiero il portare il santissimo Viatico per la Città da tutte l'hore, non senza irreuerenza d'esso, e poca edificatione di chi vede tanta dilatione nell'infermo à riceuerlo; per tanto inherendo alle Constitutioni d'Innocentio III. e di Pio V. ordiniamo, & espressamente commandiamo, che li Signori Medici non possano più visitare infermi passato il terzo giorno, se con effetto non si saranno confessati, e communicati, se pure dal proprio Curato non li fosse data qualche breue dilatione, che però non si li deue concedere, si non con molta cautione, e questo sotto pena di scommunica ipso facto incurrenda. E perche molti infermi si sogliono confessare da Padri Regolari, ordiniamo perciò sotto pena di sospensione dall'officio di Confessore ipso facto incurrenda, che subito fatta la Confessione, siano tenuti à darne

conto al proprio curato, affinche possi visitare l'infermo, e somministrarli li santissimi Sacramenti, in tempo opportuno. In quorum fidem, &c. Datum Melphiæ die 16. Septembris 1624.

L. Episcopus, &c.

Georgius Gremolissius Curiæ Episcop. act.

Indulgenze che si conseguono da fedeli, ch'interuengono all'Vfficij diuini la festa, & ottaua del Corpus Domini da publicarsi da Parochi la Domenica antecedente alla detta Solennità.

Chi digiunarà la vigilia di detta Solennità, ò vero farà qualch'altr'opera pia, in loco di detto digiuno guadagnarà 200. giorni d'indulgenza.

Chi si trouarà presente al Matutino, alla Messa, al primo, e secondo Vespro di essa Solennità 400. giorni per ciascuno d'essi diuini vfficij.

Chi si trouarà presente à Prima, Terza, & Sexta, Nona, è Compieta 160. giorni per ciasch'vn'Hora.

A chi ne giorni dell'Ottaua sarà presente al Matutino, alla Messa, & al Vespro 200. giorni per ciascun'Vfficio, & all'altr'Hore, 80. giorni per ciascuna.

A chi compagnarà la Processione il giorno della Solennità 200. giorni.

A chi si communicarà il detto giorno, 200. giorni.

A Sacerdoti che celebraranno per la pace, e tranquilli-

tà della Chiesa la Festa, e per tutta l'Ottaua, ogni volta 200.giorni.

Auertendo che per conseguire le sudette indulgenze è necessario essere pentito, e confessato, come nelle Constitutioni di Sommi Pontefici, Martino Quinto, Eugenio Quarto, & Vrbano Quarto che l'hanno concesse.

Sommario de Decreti della sacra Congregatione intorno à Casi reseruati.

FV ordinato dalla sacra Congregatione de'Vescoui, e Regolati, per ordine di Papa Clemente Ottauo, per decreto delli 9. di Gennaro 1602. che niun Confessore Secolare, ò Regolare ardisse d'assoluere da qualsiuoglia caso chiaramente, ò dubiosamente reseruato alla santa Sede Apostolica, ne meno da quelli riseruati, ò da riseruarsi dalli ordinarij, senza espressa licenza inscritto, sotto pena della scommunica, priuatione d'vfficio, dignità, ò beneficio, & inhabilità à più ottenerne, da incorrersi ipso facto, senz'altra dichiaratione, riserbando l'assolutione, alla Santità di N. S. solamente, eccetto in caso di morte, con dichiaratione, che l'assolutioni ottenute da penitenti siano nulle.

E per vn'altro Decreto delli 26. di Nouembre 1602. fù dichiarato gli casi riseruati alla medema santa Sede essere tutti gli compresi nella Bolla in Cœna Domini, la violatione dell'immunità Ecclesiastica conforme la Bolla di Gregorio XIV. e quella della Clausura delle Monache, fatta per mal fine; quelli che sfidano, ò combattono à duello. Quelli che pongono le mani violente nelle persone Ecclesiastiche; la simonia reale, e la confidenza beneficiale, & oltra questi, e gli riseruati dall'Ordinario, furono lasciate le facoltà, ò priuilegi in suo robore, purche

che fussero in vso prima del sudetto Decreto, ò vero che non fussero comprese sotto altra riuocatione, e fù anco leuata l'inhabilità à poter più vdire confessioni, e la necessità di hauer la licenza inscritto, purche si habbia in voce.

Vltimamente dalla medesima sacra Congregatione per ordine particolare di Papa Paolo Quinto di felice memoria, sotto li 7. di Gennaro 1617. furno confirmati li medesimi decreti, e dichiarati con le sudette pene, da incorrersi ipso facto senz'altra dichiaratione.

Tutto questo s'è voluto ponere, per darne notitia à tutti gli Confessori, ad ogni buon fine. In quorum fidem, &c. Datum Melphiæ die 25. Nouembris 1624.



S.D.N.

S. D. N.

D. GREGORII PAPAE XV.

CONSTITVTIO,

De exemptorum priuilegijs circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & Prædicationem Verbi Dei.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.



NSCRVTABILI Dei prouidentia Vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantum sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atque vt virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodian-

custodiantur; & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illius videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Nec non vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ; tam regulares, quàm seculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita; Itemque vt Episcopi vniuersi sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasterijs sibi subiectis Ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes: Atque vt regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesijs, prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulase, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac generali, ac perpetuo valitura Constitutio-

ſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tàm regulares, quàm ſeculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſecularium Monaſterijs, ſeu domibus regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſijs, vel beneficijs, ſiue regularibus, ſiue ſecularibus incumbentem exerceant; ſiue aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent præuia Epiſcopi licentia, & approbatione; ſiue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant: in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubijciantur. Ad hæc tàm regulares, quàm ſeculares huiuſmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confeſſores verò ſiue regulares, ſiue ſeculares, quomodocunque exempti, tàm Ordinarij, quàm extraordinarij ad Confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam regularibus ſubiectarum pertinentia; ſiue regulares extiterint ſiue ſeculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo, ex rationabili cauſa Supe-

riores regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atque Administratores amoueant; ijsque Superioribus id facere detractantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores admouendi quoties, & quando opus esse iudicauerit. Ac similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos tàm seculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasq. pœnas, vti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Iudices quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis, aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymi-

tani, Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessariò, & indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tàm secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conseruatorum deputationibus, eorumque atque alijs inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur; & quibusuis alijs, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis; etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expresio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expresis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & exprese derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus

illas

illas ad valuas Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis; earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earundem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ M.DC.XXII. Nonis Februarij, Pontificatus nostri Anno Secundo.

V.Dat.

S.de Vrsinis.

Registrata in Secretaria Breuium.

TABVLA EPISCOPORVM S. ECCLESIÆ MELPHIEN.

Quæ hactenus de Ecclesia Melphien. eiusdemque Episcopis temporum iniuria Ciuium calamitate ferè deleuerat obliuio, luci restituta, in vnum redacta conspice, laborem considera, Præsulum exempla imitare.

Hic, & nonnullis in locis istius Tabulæ, monumentorum defectu, multorum Episcoporum nomina intercciderunt.



BALDOVINVS Episcopus præfuit Ecclesiæ Melphien. anno 1059. quo anno 13. Augusti vna cum multis alijs Præsulibus interfuit consecrationi Ecclesiæ S. Angeli in Vultu, per Nicolaum II. solemniter factæ; & anno 1076. Robertus Dux, qui donauerat Ecclesiæ Melphien. in remedium animæ suæ centum colonos cum eorum possessionibus in Calabria in Castro, quod dicitur

Regi-

Regina; petente dicto Episcopo Archidiacono,& Clericis Ecclesiæ commutauit in Abbatiam Sancti Ioannis de Iliceto,cum propinquior esset Ecclesiæ Melphień. in qua anno 1082. Vrbanus Papa II. Concilium habuit Prouinciale; & annò 1093. mense Nouembris, Baldouino Episcopo mortuo, Rogerius Dux cum esset Melphiæ donauit dictæ Ecclesiæ Castrum Salsulæ, cum omni territorio, & iurisdictione,ac exemptione ab omni seruitute & Adhoa, vt ex priuilegijs dictorum Principum in Archiuio Episcopali asseruatis apparet.

Vuidelmus, seu Guilelmus successit Baldouino in Episcopatu Melphień. & anno 1097. idem Rogerius Dux donauit Episcopo,& Ecclesiæ Castrum Gaudiani cum omnimoda iurisdictione. Et Paschalis II. Summus Pontifex, qui in Episcopali Palatio fuerat hospitatus, concessit dicto Episcopo, quod in Oppido Lauelli nunquam erigeretur Sedes Episcopalis, sed semper esset sub iurisdictione Episcopi Melphień. cum speciali priuilegio, quod Episcopi Melphień. consecrarentur per Sum. Pont. vt in Bulla signata manu propria dicti Paschalis Sum.Pont.

Rogerius Episcopus Melphień. anno 1155. obtinuit sententiam à Rogerio Rege Siciliæ in fauorem Ecclesiæ Melphień. contra Abbatem Vulturensem super iurisdictione Ecclesiarum Sancti Antonini, & Sancti Nicolai,ac quibusdam Molendinis Ecclesiæ Melphień. cui etiam idem Rex inuictissimus,& eius filius eodem anno construxerunt Campanile conspicuæ altitudinis, & nobilis structuræ, ac præ grandibus Campanis onustum.

Richerius Episcopus Melphień. Fredrici Romanorum ac Siciliæ Regis Consiliarius, vir religiosissimus, ac scientiarum omnium peritissimus, vt ex lectura suarum litterarum apparet, in quibus humilem Episcopum Melphień. seipsum nominauit, & subscripsit anno 1226. dum esset Augustæ obtinuit ab Andrea Lupino Cupressani Comite

pro

pro sua Ecclesia tenimentum Fluminis Lamprediani cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, accedente consensu dicti Regis, qui plura priuilegia in eius gratiam concessit Ecclesiæ Melphien. Ecclesiam Sancti Nicolai de Aufido erexit in Hospitale, & anno 1224. Moniales sub regula Sancti Benedicti in Ecclesia Sanctæ Veneris propè Aufidum degentes, cum esset locus horroris,& vastæ solitudinis,transtulit ad Ecclesiam Sancti Ioannis de Iliceto. Honorio III.Sum.Pont.

Frater Sinibaldus Ordinis Minorum, creatus fuit Episcopus Melphien. anno 1280. Certam concordiam iniuit cum Canonicis Ecclesiæ, qui tunc regulariter viuebant. In fauorem suæ Ecclesiæ, & Clericorum multa priuilegia, & immunitates obtinuit, ac Campanam magni ponderis contra aereas tempestates,quæ adhuc extat Ecclesiæ Maiori donauit anno 1298.

Saracenus Episcopus Melphien. à Carolo II. obtinuit brachium Regium pro corrigendis excessibus Clericorum, & laicorum. Composuit decimas vassallorum Castri Gaudiani, in cuius districtu anno postea MCCCX.adhuc ipso viuente erecta fuit in signis Ecclesia, in honorem Diui Pauli, vt docet antiqua inscriptio in nobili Atrio ipsius Ecclesiæ, iam collapsæ incisa, & hic relata. Mirabilis locus istius Ecclesiæ, mirabiliter inuentus est, per reuelationem Beati Pauli pluries ibi apparentis in somnis cuidam nomine Nicolao, sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo,die Beati Barnabæ 11.Iunij,indictione octaua, residente in sancta Romana Ecclesia Episcopo Clemente Papa Quinto; regnante Domino Roberto Illustrissimo Rege Hierusalem,& Siciliæ, existente Præsule Domino Saraceno venerabili Episcopo Melphien.

Costantinus Episcopus Melphien. anno 1319.concessit facultatem Vniuersitati Melphien. construen. Hospitale sub inuocatione Sanctæ Mariæ Annuntiatæ in Parochia

Sancti Martini extra menia Ciuitatis, pro recipien. infirmis, ác miserabilibus personis, cum onere soluen. Episcopo Melphieñ. libras quinque ceræ quolibet anno in signum subiectionis, obijt autem Constantinus Ioanne XXII. Pont. Max.

Guilelmus huius nominis II. Roberti Regis Conf. anno 1324. obtinuit ab eodem Rege commissionem directam ministris Reg. Cam. quod constito de omnimoda exemptione Castri Salsulæ à seruitio feudali, & Adhoa illud restituerent Ecclesiæ, quod fuit executioni mandatum, & in eius gratiam Sum. Pont. confirmauit priuilegia concessa ab Alexandro, & Paschali II. Ecclesiæ Melphieñ.

Iacobus Episcopus Melphieñ. anno 1334. concessionem Hospitalis Annuntiatæ, iam ædificati, confirmauit, & sententiam fauorabilem pro Ecclesia Melphieñ. contra Capitulum, & Canonicos Canusinos super differentijs territorij Gaudiani reportauit.

Nicolaus Valentinus Episcopus Melphieñ. præfuit Ecclesiæ anno 1354. quo anno cum essent Melphiæ Ludouicus, & Ioanna Siciliæ Reges, in gratiam Nicolai, receperunt in protectionem Ecclesiam Melphien. cum omnibus Clericis, & Vassallis, & anno 1358. idem Episcopus cum consensu Capituli, concessit fundum in loco vbi erant Balnea Militi Busono de Fabiano Melphiæ Comiti, & magno Regni Siciliæ Siniscalco, pro construeñ. Hospitale infirmorum, ac pauperum vndecunque venientium, cum onere solueñ. Episcopo quolibet anno libras quinque ceræ.

Frater Antonius Ordinis Prædicatorum successit Nicolao in Episcopatu Melphieñ. anno 1364. Vrbano Quinto Sum. Pont.

Pandulphus Episcopus Melphieñ. ab eodem Vrbano creatus, iura Ecclesiæ suæ præsertim ad Abbatiam Sancti Ioannis de Iliceto spectantia, olim à Roberto donata Neapoli acerrimè defendit, & ex hac vita decessit eodem

Vrba-

Vrbano Summo Pontifice.

Franciscus Sconditus Neapolitanus Episcopus Melphieñ. anno 1368. cum Canonici Melphieñ. adhuc ducerent vitam communem, orta denno controuersia super iuribus mensæ, & distributionibus ferculorum, non obstante conuentiōne olim facta cum fratre Sinibaldo ad certam concordiam cum Archipresbytero, & Canonicis Ecclesiæ deuenit.

Antonius de Samudia Melphieñ. ab Vrbano VI. Sum. Pont. Episcopus Melphieñ. in locum Francisci de mortui suffultus est anno 1384. 27. Ianuarij, & anno 1388. mandante Antonio Episcopo confectum fuit inuentarium omnium bonorum Ecclesiæ Sancti Petri Melphiæ.

Antonius huius nominis III. Episcopus Melphieñ. Ladislai Regis Cons. anno 1403. ab eodem Ladislao obtinuit immunitatem pro habitatoribus Gaudiani, ac Conseruatorium pro manu tentione possessionis dicti Castri contra quoscunque temere Episcopum molestantes. Huic Antonio delegata fuit causa à Summo Pontifice inter Archiepiscopum, & Capitulum Neapolitanum super differentijs Ecclesiæ sanctæ Restitutæ, quam etiam dum esset Romæ definiuit.

Franciscus Carusius Capuanus Episcopus Melphieñ. anno 1416. cum iamdiu decertasset pro conseruan. & amplian. Ecclesiastica libertate suæ Ecclesiæ, tandem à Ioanna II. Regina, priuilegium immunitatis, ab vniuersis collectis pro Clero Melphien. reportauit. Cessit è vita Martino V. Sum. Pont. reducto prius annuo censu, per Abbatem sancti Angeli in Vultu Episcopo Melphien. debito ad certam tenutam territorij S. Stephani, & Foggiani.

Cintius Palumbus Neapolitanus à Martino V. Sum. Pont. creatus Episcopus Melphien. anno 1434. à Ioanna II. obtinuit indultum cognoscendi priuatiuè quoad alios, de omnibus, & quibuscunque causis suorum familiarium, etiam

etiam si essent criminis lesæ Maiestatis.

Alphonsus Cossa Neapolitanus, à Calisto III. Sum. Pont. creatus Episcopus Melphien. anno 1458. in Reg. Cam. sum. obtinuit immunitatem pro se, & vniuerso Clero Melphien. à datio carnis; & vini contra vniuersitatem Melphien. & à Ferdinando Rege Siciliæ mandatum Episcopis Venusino, & Labellano, vt constito eis de spoglio à Duce Grauinæ Episcopo Melphien. facto, de Territorio Gaudiani dictæ Ecclesiæ, & Episcopo restituerent, quod ipsi executioni demandarunt.

Gaspar Loffredus Neapolitanus, ex Marchionibus Triuici, à Paulo II. Sum. Pont. in locum demortui Alphonsi creatus fuit Episcopus Melphien. Basilicam Cathedralem, ante Presbyterium in modum Crucis reduxit, Palatium Episcopale anno 1480. ampliauit, & exornauit, vt propria insignia testantur. Sacristiam Ecclesiæ prætiosa suppelectili ditauit. Verum cum per plures annos Ecclesiam sibi commissam summa cum prudentia gubernasset, ex hac vita decessit, Sixto Quarto Sum. Pont.

Ioannes Baptista Cibo Genuensis à Paulo II. Summo Pontifice Sauonensis à Sixto IV. Melphien. Episcopus creatus; ab eodem postea, Datarius, & Cardinalis factus, eidem etiam defuncto in Pontificatu successit anno 1484. & Innocentius Octauus dici voluit. Platina.

Octauianus de Bentiuolis ab eodem Innocentio Octauo Summo Pontifice in suo Episcopatu Melphien. suffectus, erectionem Hospitalis Annuntiationis à Constantino; & Iacobo prædecessoribus factam approbauit, & auxit, & eodem anno ab eodem innocentio Sum. Pont. translatus fuit ad Archiepiscopalem Ecclesiam Salernitanam.

Franciscus Caracciolus Neapolitanus successit in Episcopatu Melphien. Octauiano iam ad Salernitanam Ecclesiam translato, & Innocentius Octauus illum, & Ecclesiam Melphien. peculiaribus litteris, quæ adhuc extât in Archi-

G uio

uio Epiſcopali, commendauit Alphonſo Regi Siciliæ.

Ioannes Borgia Valentinus Hiſpanus Alexandri VI. Sum.Pont.Nepos ab eodem creatus fuit S.R.E. Diaconus Cardinalis Tit. ſanctæ Mariæ Inuialata,& Epiſcopus Melphien.extāt adhuc eius inſigna in porta Palatij Epiſcopalis.

Raphael ex Marchionibus Ceuæ præfecit Eccleſiæ Melphien.anno 1508. Iulio II. Sum. Pont. portas Eccleſiæ,ac Sacriſtiæ ſolido,è marmore exornauit,& ex hac vita deceſſit anno 1518.Leone X.Sum.Pont.

Ferdinandus Bontius Florētinus,à Leone X.Sum.Pont. S.R.E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Pancratij creatus, & Epiſcopus Melphien.factus,ex hac vita deceſſit anno 1528. Quo tempore Ciuitas Melphien. fuit ab Odet. Comite de Foix, Lotreccho nuncupato ingenti ſuorum Ciuium occiſione deuaſtata.

Ioannotius Putius Florentinus à Clemente VII. Sum. Pont.anno 1529. Epiſcopus Melphien.creatus,& ab eodē poſtea obtinuit perpetuam vnionem Eccleſiæ Rapollen. etiam immediate Sedi Apoſtolicæ ſubiectæ Alexandri, Vrbani, Paſchalis, & Eugenij III. Summorū Pont. priuilegijs vnà cum Eccleſijs quadraginta, & vltra tunc temporis ei ſubiectas, vt legitur in Bulla dicti Eugenij anno 1152. in qua ineſt particularis prærogatiua, quod Rapollen. Epiſcopus à Sum.Pont. conſecraretur. Obijt autem Ioannotius anno 1537. Paulo Tertio Sum.Pont.

Ioannes Vincentius Acquauiua Neapolitanus S. R.E. Tit.S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis à Paulo Tertio creatus fuit Epiſcopus Melphien. & Rapollen. perſonaliter reſedit per plures annos in Eccleſia, quam etiam inſigni organo exornauit.

Marius Rufinus Romanus, à Paulo Tertio eius affine creatus Epiſcopus Melphien. & Rapollen. anno 1547. iuriſdictionem temporalem ſuæ Eccleſiæ Romæ defendit. Ciſternas ampliſsimas in Epiſcopali Palatio extruxit. Cho-

rum Ecclesiæ sedilibus Canonicalibus, ac portam minorem marmore exornauit. Verum senio confectus, coadiutorem obtinuit à Paulo Quarto Sum. Pont. & obijt Romæ anno 1548. sepultus in Ecclesia S. Marci ad Rotundam.

Alexander Rufinus Romanus, Marij Nepos, à Paulo IV. Sum. Pont. in Episcopatibus Melphien. & Rapollen. coadiutor, & successor deputatus, ac Melphiæ die 14. Maij 1559. consecratus, Aram maximam Ecclesiæ exornauit. Capellam Sanctissimi Rosarij construxit, obtento à Sum. Pont. priuilegio perpetuo pro Animabus defunctorũ. Sacristiam paramentis auxit, & Palatium Episcopale restaurauit. Monasterium Sanctimonialium Ecclesiæ S. Bartholomæi Melphiæ sumptibus Ciuitatis ædificatũ, approbauit, & à Gregorio XIII. confirman. curauit; nonnullis etiam redditibus Ecclesiasticis applicatis. Postea ætate grauis, cum per plures annos Ecclesiam administrasset eodem Gregorio XIII. Sum. Pont. resignauit, & Romæ decessit sepultus, & ipse in dicta Ecclesia S. Mariæ ad Rotundam in sepulchro suorum maiorum.

Gaspar Cincius Romanus, primo Iuriscõsultus, & vtriusque Signaturæ Referendarius, postea Episcopus, Melphien. & Rapollen. ab eodem Gregorio creatus, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte Caluario nuncupatam, hodie Fratribus Carmelitanis concessam, solemni ritu consecrauit. Palatium Episcopale exornauit. Sacristiam suppellectili Ecclesiastica satis abundè ditauit. Demum habita Synodo Diœcesana, Ecclesias resignauit Sixto V. Sum. Pont. synody

Horatius Celsus Romanus Canonicus S. Petri de Vrbe, & vtriusque Signaturæ Referendarius, cum esset Vicelegatus Prouinciæ Romandiolæ à Sixto V. Sum. Pont. creatus fuit Episcopus Melphien. & Rapollen. sed morte præuentus Melphiam nunquam accessit; nonnulla tamen paramenta Ecclesiastica sacristię reliquit Gregorio XIV. Sum. Pont.

Marcus Antonius Amidanus Cremonen. Abbas Omnlũ

Sanctorum, & Canonicus Cremonen. postea vtriusque Signaturæ Referendarius. Laudæ Vicarius à Sede Apostolica deputatus, interfuit Conc. Mediolanen. 6. sub sancto Carolo Borromeo, quòd etiam subscripsit. Postea Gregorio XIV. ad Sum. Pont. apicem euecto cubiculario, intimoque familiari declarato, ab eodem postea electus fuit Episcopus Melphien. & Rapollen. sed ætate grauis, ac Gregorio Sum. Pontif. defuncto, antequam munus consecrationis susciperet, Episcopatum cessit, retenta sibi annua pensione, ac obtenta præpositura insignis Collegiatę S. Agathæ Cremonæ secessit ad patriam, vbi anno 1598. ex hac vita migrauit, Clemente VIII. Sum. Pont.

Matthæus Brumanus Cremonen. primo Canonicus Regularis Lateranen. & excellens Theologus, à Sixto Quinto Sum. Pontif. creatus Episcopus Nicomedien. ac redditibus Ecclesiasticis ditatus, cum apud Sedem Apostolicam legatione fungeretur pro Duce Mantuano ab Innocentio Nono Sum. Pontif. Episcopus Melphien. & Rapollen. declaratur, & postea à Clemente Octauo confirmatur Melphiam accessit, vbi statim Episcopale Palatium ampliauit, ac sacristiam paramentis auxit. Verum, dum Ecclesiam à fundamentis reædificare designasset, & necessaria omnia parasset, improuisa morte decessit anno 1594. 19. Augusti eodem Clemente Octauo Sum. Pont. ætatis suę anno 49. sepultus in Cathedrali, tanto cum bonorum omnium gemitu, & lachrymis, quanto nunquam antea quisquam sepultus fuerit. Adhuc etiam extat de eo Melphię grata, & celebris memoria.

Placidus de Marra Neapolitanus, vtriusque Signaturę Referendarius à Clemente Octauo Sum. Pont. anno 1594. in locum Matthęi Episcopi Melphien. & Rapollen. suffectus. Anno 1596. Ecclesias sibi commissas visitauit, & 1598. 11. Nouembris, in Cathedrali Melphien. Synodum habuit Diœcesanam. Ecclesiam, & Episcopalę Pa-

latium exornauit, ac Sacristiam paramentis auxit. Postea, cum Viennam Austriæ, vnà cum Ioanne Garzia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Mellino Apostolicę Sedis apud Matthiam Hungaricę Regem Legato accessisset ab eodem Pauli V. Sum. Pontif. authoritate, ibi Nuntius constituitur; quo in munere, etiam apud eundem Matthiam in Romanorum Imperatorem electum, per plures annos laudabiliter se gessit. Sed graui infirmitate oppressus Melphiam redire coactus fuit, vbi per triennium commoratus, valetudine semper aduersa; ex hac vita decessit anno 1620. die 11. Decembris, sepultus in Cathedrali erecto ei honorifico marmoreo sepulchro à Lazaro Carafino Cremonensi in Episcopatu successore.


Frater Desiderius Scaglia Cremonen. Ordinis Prędicatorum, sacrę Theologię Magister primo Papię, deinde Cremonę, tum Mediolani generalis Inquisitor anno 1616. à Paulo Quinto Summo Pontifice Romę sanctę vniuersalis Inquisitoris Commissarius constitutus ab eodem, postea anno 1621. 21. Ianuarij creatus fuit S.R.E. Cardinalis, Tit. Sancti Clementis, ac eodem die Episcopus Melphien. & Rapollen. designatus, & à Gregorio XV. Sum. Pont. qui Paulo V. successerat, confirmatus; A quo etiam sequenti anno ad Ecclesiam Comensem, in statu Mediolanen. translatus fuit, quam regit hodie summa cum pietate. Vrbano VIII. Sum. Pont.

Lazarus Carafinus Cremoneñ. primo Iurisconsultus, & Prothonotarius Apostolicus, ac Fratris Desiderij Scaglię Cardinalis Cremonen. intimus familiaris, Cubiculique Præfectus, in eius locum postea à Gregorio XV. Sum. Pont. subrogatus fuit anno 1622. 19. Decembris, cum esset annorum 32. Melphieñ. accessit sequenti anno, 8. Aprilis, vbi statim, numerum Canonicorum, qui sexdecim tantum erant, ad viginti vsque auxit, redditibus proprijs assignatis. Hospitale infirmorum iam flagitiosissimis homini-

mini-

minibus diuerſorium factum reſtaurauit, & Fratribus B. Ioannis Dei, in adminiſtrationem conceſſit. Seminarium Clericorum inſtituit, ac repurgato templo, dimotiſque ędificijs, Baſilicam ipſam occupantibus, inſignes Sanctorum reliquias Romę à prędicto Cardinali dono acceptas, in Altari maiori à ſe funditus renouato, maxima cum veneratione collocauit. Eccleſiam Capuccinorum ſolemni ritu conſecrauit. Diœceſanam Synodum à 26. annis, non conuocatam celebrauit, ac Eccleſiaſticam diſciplinam ferè collapſam, reſtituit. Regit is Eccleſias ſibi commiſſas.

FINIS.



Ad Illustrissimos, & Reuerendissimos DD. Cardinales Sacri Conc. Tridentini Interpretes:

De rebus Ecclesiarum Melphien, & Rapollen adinuicem vnitarum.

LAZARI CARAFINI EPISCOPI pro XII. triennio relatio.



BIENNIVM iam labitur, quo felic. recordat. Gregorius XV. me, licet immeritum, ad harum Ecclesiarum immediatè huic sanctæ Sedi Apostolicæ subiectarum regimen euocauit, & quo triennij præceptum iam elapsum; ac impetrata prorogatio me vrget, vt SS. Apostolorum Limina visitanda, mearum Ecclesiarum statum breuiter enarrem.

Melphis itaque Ciuitas, quæ sub temporali dominio Principis Auriæ viuit, ad radices Mõtis Vulturis Lucaniam, & Apuliam diuidentis in colle posita est, muris vallata lapideis, quos ex occasu placidè abluuit aquæ riuus Melphia dictus, quam plurimis distincta Molendinis humano victui apprimè necessarijs. Non longè audit voraces vndas Aufidi fluminis cunctis, vorticibus rapidis formi-

dabilis. Duarum circiter millium, & quingentarum domorum numero gaudet. Arcem habet conspicuam præcipiti rupe innixam, Normanorum opus admirandum. Angustas latasq. vias honorificis structuris condecoratas possidet. Terrestri aspectu vndequaque concluso, artis, naturæq. ingenio mirificè elaborato, oculos intuentium ad se trahente potitur. Salubre cælum obtinet, soli vbertate, solaq. fructuum, ac mercium fruge inter vicinas Ciuitates lætari videtur.

Cathedralis autem Melphieñ Assumptę Virgini dicata, quæ decentis structuræ est, in apertiori parte Ciuitatis eminet. Nunc Ara maxima exornata, atque insignibus Sanctorum Reliquijs referta; Organo deaurato, complanato Presbyterio, refectis parietibus, anterioriq. eiusdem Ecclesiæ parte lapidibus marmoreis condecorata; ipsam tandem ad elegantiorem formam etsi tenuissimis redditibus, ære tamen proprio, reduxi.

Adest in ea Chorus artificiosis sedilibus vndequaque ornatus; Sacristia item congrua, quam varia suppellectili diuino cultui necessaria exornaui. A dextris adhæret Ecclesiæ Cāpanile mirabili arte constructum, prægrandiumq. Campanarum numero oneratum. Vtrique coniungitur Cœmeterium iam à triginta annis institutum, satis vsui fidelium accommodatum, nuperq. à me benedictū. A sinistris vero Episcopale Palatium laqueatis te-

ctis,

ctis, cubiculorum magnitudine, ac venustate, & viridariorum amenitate ex omni parte celebre.

Ecclesia quattuor Dignitates, & 16. Canonicatus obtinet. Prima dignitas est Cantoratus, secunda Primiceriatus, tertia Thesaureratus, quarta vero Vicecantoratus. Huic Collegio imminet animarum cura, quæ per duos Parochos amouibiles exercetur. Harum Dignitatum, & Canonicatuum redditus, qui exigui erant vnione Ecclesiæ S.Petri, auxi, aucto etiam proprijs redditibus ipsorum Canonicorum numero, qui prius tantum 12. erant.

Clerici omnes modo sint antiqui ciues ex vtroq. parente Italo geniti post decennale seruitium in vnoquoque ordine Ecclesiæ præstitum ex antiqua, & approbata iam diù consuetudine Capitulo aggregantur, & massa Capitulari vnà cum Canonicis æqualiter gaudent. Vndè posteà promoueñ ad ordine Subdiaconatus, vt plurimum ad titulum supradictæ massæ Capitularis ordinantur.

Sacerdotes de supradicta massa Capitulari participantes, & ad presens Ecclesię inseruientes sunt 36. Diaconi 12. Subdiaconi 10. in minoribus vero constituti 50. qui omnes festiuis diebus Ecclesiæ inseruire tenentur, & ferialibus etiam per hebdomadam, ex istius Sac. Congregationis permissa.

Diuinum officium in Choro quotidiè decantatur, & Dominicis, festiuisq. diebus cum Organo, & Musica, ac cum Ministris paratis celebratur.

Adest Ceremoniarum Magister, & mulctarum Depositarius. Verum ob præbendarum exiguitatem, caret adhuc Pœnitentiario, & Theologo, cuius nunc ex certa obligatione vices gerit; lectione Casuum Conscientiæ, vnus ex PP. Congregationis Somaschę.

Peracta Visitatione Diœcesanam Synodum à 26. annis non celebratam conuocaui, & in ea varios abusus abrogañ, rectosq. mores reuocañ cuncta ad ecclesiasticam disciplinam reduxi, typisq. Romę cum Episcoporum predecessorum Cathalogo imprimeñ curaui.

Seminarium Clericorum à 25. annis intermissum, & anteà sępè collapsum institui, in eoq. 16. alumnos bonę indolis, & probatis moribus sub disciplina Patrum Congregationis Somaschę inclusi, & in posterum annuente Deo in hoc statu permãsurum esse mihi persuadeo si DD. VV. Illustriss. cum Illustriss. Borromeo seriò egerint, vt primo quoque tempore pro Abbatia S. Angeli, quam in Diœcesi mea obtinet, debitam portionem, tam pro elapso, quam pro pręsenti anno, quem agimus persolui statim curent. Et pręsertim etiam cum hortatu meo Ioannes Dominicus de Rentijs olim Archidiaconus Rapolleñ eidem Seminario ducatos 100. annuos applicarit; & similiter pijssimus I. C. Eliseus Geruasius Patritius Melphieñ dono quinque millium aureorum mihi facto, alios duca-

tos

tos 100. annuos perpetuò in Seminarij beneficium expendi, & reliquo redditu tres Iuuenes Seminarij alumnos alternis annis Neapoli, tum Romę liberalibus disciplinis instrui, ibiq Doctoratus laurea decorari mandauerit, sicut i ego eosdem laureatos ad quatuor Canonicatus à me institutos, & dotatos in perpetuũ per Sindicũ Ciuitatis pręsentari decreui.

Quę beneficia simplicia toto meę administrationis tempore vacarunt, eidem Seminario iure vnionis adiunxi, bonaq. fide tassari possum me nullum cuipiam ex consanguineis, aut familiaribus meis contulisse, vnde eius redditus ad 660. ducatos annuos ascendunt.

Ciuitas tota in sex Parochias pręter Cathedralẽ distincta est, nempè S.Luciæ, S.Theodori, S.Nicolai de Ceramo, S.Nicolai de Platea, S. Andreæ, & S. Laurentij; quatuor Rectoribus, seù Portionarijs decotata.

Vnicum tantum extat in Ciuitate Monialium Monasterium sub Regula S.Clarę, in quo 50. Moniales viuunt impensis Ciuitatis, à qua eorum redditus asseruantur.

Regularium virorum intus Ciuitatem continẽtur quinque Monasteria, nempè S.Francisci Conuentualium, S.Augustini, Carmelitarum, Congregationis Somaschę, & B.Ioannis Dei, quod ego erexi, cuiq.Hospitalis administrationem in beneficium pauperum infirmorum Sodalitatis consilio

con-

concessi. Extra vero duo, vnum Fratrum Minor. de Obseruantia sub inuocatione Omnium Sanctorum, Capuccinorum alterum.

In eadem item quinque Laicorum Confraternitates continentur.

Ciuitas quæ præcipuos Patronos agnoscit S.Bartholomæum Apostolum, S.Martinum Episcopum Turoneñ, & S.Thomam Aquinatem, pauca beneficia præter Parochialia obtinet, eorumq. præcipua à commorantibus in Romana Curia possidentur.

Etsi Melphieñ Ecclesia Diœcesi careat, nihilominus possidet feuda Salsulæ, & Gaudiani, in quibus Episcopus Melphieñ præter spiritualem, temporalem etiam exercet iurisdictionem, cum omnimoda etiam gladij potestate. Olim hæc loca incolebantur, sed temporum iniuria omnia corruere, & nunc in eis tantum quædam agrestes domunculæ vsui Colonorum, & Pastorum commoditati visuntur.

Nunc de Ecclesia Rapollen.



APOLLA Ciuitas perexigua 150. circiter domorum est, duo milliaria distans à Melphi. Olim dum eius Ciues florebant præsentia Pastoris lætabatur. Verum ad pauperiem, & miseriam redacta Clemens Septimus Pon-

Pontifex Maximus eam Ecclesiæ Melphien vniuit.

Cathedralis item est sub titulo Beatæ Virgini Assumptæ congruæ formæ, & magnitudinis. Habet, & ipsa Chorum, Sacristiamq. sacra suppellectili satis superabundantem; Cœmeterium item, & Campanile congruæ altitudinis, & celebris structuræ.

Tres in ea adsunt Dignitates, quarum prima, & post Pontificalem est Archidiaconatus, secunda Cantoratus, tertia Thesaureratus; Canonicatus vero sex, qui omnes simul cum Dignitatibus, etsi mediocris redditus præbendas tamen distinctas obtinent. Animarum cura totius Ciuitatis Archidiacono imminet.

Gaudet Seminario Melphien. Habet tres Laicorum Confraternitates, & vnicum tantum Regularium Monasterium Min. de Obseruantia extra mœnia.

Habet in Diœcesi duas Abbatias celebrem illam S. Angeli in Vultu, nunc Capuccinorum Cœnobio decoratā, annui redditus septem ferè millium aureorum, quæ ab Illustriss. Cardinali Borromeo ad præsens obtinetur. Alteram S. Mariæ de Penno, valoris mille aureorum, quæ ab Illustrissimo Cardinale de Torres possidetur.

In hac Diœcesi duo adsunt Albanensium Pagi, qui Catholico, promiscuo tamen Latino, & Græco ritu viuunt, Barilis nempè, & Ginestra. Adsunt

item

item duo Latinorum Oppida, Ripa Candida, & per duplices Nundinas celebre totius Lucaniæ emporium Atella, quæ aeris intemperie ferè diruta, & Ciuibus vacua cernitur. Verum vtrobique adsunt Ecclesiæ Collegiatæ Archipresbyterales cum Sacristijs decenter ornatis. Monasteria Regularium, & Laicorum Confraternitates permultæ.

Stat adhuc in hoc loco horroris, & vastæ solitudinis sub titulo Sancti Spiritus Monasterium Monialium Ordinis S. Benedicti, quod miserabili ægestate Ciuium inopia præmitur.

Hæc sunt Illustrissimi PP. quæ relatu digna iudicaui, cætera vel elapsa vel vt læuiora prætermitto, hoc vnum addens me in omnibus Episcopalibus functionibus muneri meo satisfecisse, quantum humana imbecillitas, viriumq. robur patiebatur. Romæ ex ædibus nostris die 20. Iunij 1625.

ERRATA SIC CORRIGE.

In 1. Edicto	linea 32		causæ lege	causa
Pagina	5	8	vt curam.	& curam
eadem		12	derelinquere.	delinquere
eadem		24	vertantur	vereantur.
	7	12	Consecrationis nostræ.	Adde XIX. & XXIII. Decembris.
	9	14	quoad omnes	quoad Nos.
	11	12	Cappuccco.	Cappuccio.
	12	3	ordinis.	ordini.
	12	32	fraudolentes	fraudolentas.
	13	22	docti	ducti
	14	23	vix	iuxtà.
	15	2	diligentur	deligentur.
	16	7	fiant	fiat.
	18	8	pœna	pœnam
	18	24	illum qui	illud quod
	19	26	casus	casu
	23	24	confictioni	confectione.
	24	5	existent	existant.
	24	15	dominetur	dominentur
	27	28	Mensa Episcopalis.	Adde Ducatos.
	29	3	Actellæ	Atellæ
	30	27	quæ	qua
	31	25	doctrine	dotrine
	33	14	delitij	delitie
	44	13	intercederunt.	interciderunt.
	50	6	præfecit	præfuit.
	50	10	Bontius.	Ponzettus
	53	31	Melphien	Melphiam.
	55	9	visitanda	visitando.
	56	3	rupe	rupi
	57	18	ordine	ordinem
	59	10	tassari	testari

